

1538

*Turca ab
Andrea
Grito, Cy-
donia præ-
fecto, pro-
figari.*

minoribus tormentis displois, Italicae duae cohortes, eruptione facta, perturbatos hostes aggressae, in fugam cum ingenti caede conjecere. Eandem fortunam subiere, qui praedae intenti longius a litotibus processerant, ab incolis aut interfecti, aut praecipites fugae dare se coacti, ut tandem, multis suorum amissis, Chariadenus receptui cecinerit, ac reliquis, triremes ut conscenderent, jussis, spe frustratus, inceptum deseruerit. Pulsus Aheneobarbus, ut quoquo pacto illata sibi a nostris damna ulcisceretur; in orientale insulae latus, cui Samonium promontorium nomen indit, conversus, centum triremes in Cyteum, tenue satis oppidum, misit; quod cum desertum invenisset, nonnullis sublatiis bellicis tormentis, ac sulphurei pulveris cadis, agris vastatis, Turcicae feritatis quaecumque hostes pertransiere, vestigiis relictis, ne a Vincentio Capellio, quem jam Corcyram pervenisse, Cretensibusque opem brevi laturum ferebatur, ad certamen ineundum Chariadenus cogeretur, e Cretensibus litoribus abscedens, Euboeam versus iter flexit.

*Venetorum
consilia de
bello admini-
strando.*

Dum Venetorum ditiones oppugnantur, incenduntur, ac diripiuntur, quidnam de bello administrando Vincentio Capellio imperatori mandaretur, sedulo, & accurate disceptabatur. Classe Turcica in Adriaticum sinum penetrante, anteverteretne Capellius, an a tergo insequeretur; illo maritimarum virium, quod praeter ceteris maxime optandum erat, conjunctionem impediri; hoc indefensas eas omnes oras, ac regiones, quae Adriatico mari alluuntur, hosti relinqui videbatur. Collegii Patres scribendum Capellio censuere, ut hostibus in Adriaticum irrumpentibus, in Illyrico iis, quae sibi viderentur, praesidiis relictis, ultra Corcyram ad populos in fide retinendos; hostium commeatus intercipientes; classem cum foederatis jungendam se contineret: hostes vero altius sese in sinum inferentes insequutus, quam maximis posset detrimentis afficeret. Constantinus Priolus ordinum Sapiens, ut decernendi ea in re facultas imperatori permetteretur, suavit; eo in primis ductus, quod superiori anno cum Pesareus extra Adriaticum sinum commorari iussus fuisset, ex eo potissimum belli origo fluxisse videretur. *Varios adeo, atque incertos eventus esse, ut plerumque par-*

vis